

ad Treuiros, & externā fidei.^a Pudor inde & miseratio, & patris Agrip-
pæ, Augusti autem memoria, sacer Drusus,^b ipsa insigni fecunditate, præ-
clara pudicitia; iam infans in castris genitus, in contubernio legionum e-
ductus, quem militari vocabulo' Caligulam appellabat [^cquia plerunque
ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum in duebat.] Sed nihil æ-
que flexit, quād inuidia in Treuiros: orant, obsistunt, rediret, maneret;
pars Agrippinæ occurfantes, plurimi ad Germanicum regressi. isque,
vt erat recens dolore & ira, apud circunfusos ita cœpit;^d Non mihi vxor,
aut filius patre & Rep. chariores sunt: sed illum quidem^e sua maiestas,
imperium Romanum^f ceteri exercitus defendet:^g coniugem, & liberos
meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul à
furentibus summoueo, vt quicquid isthuc sceleris imminet, meo tan-
tum sanguine pietur: neue occisus Augusti pronepos, interfecta Tybe-
rii nurus nocētores vos faciat. quid enim per hos dies inausum, intem-
ratumue vobis? quod nomen huic cœtui dabo? militesne appelleⁱ? qui
filium imperatoris vestri vallo, & armis circunsedistis?^k an ciues, quibus

O B S E R V A T I O N E S.

^a Maximorum, & clarissimorum hominum calamitas, & comparatio superioris florentis ipsorum statutus cum presenti, vel apud ipsos seditiones, huius calamitatis autores, non parum pudoris gignit, ac miseratio.

^b Quæfœming tribui laudes maxime possunt, haec sunt; insignis fecunditas, & præclara pudicitia. illa est felicitatis, & virtutis.

^c Et si paruum, & ridiculum videri potest, tamen verum est, non parum favoris sibi principem apud vulgum conciliare, si iis virtutib[us] que multititudini probantur: nam, vt ait Seneca, id agendum est, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt contrariam.

^d Nihil aquæ hominum animos perstringit atque inuidiu; que non solum est, cum quis ob aliis felicitatem luet, & macefit, sed cum que nobis debentur, ea ipsa aliis tribui videmus. quæ sanè est inistior, quam illa prior.

^e Plus apud nos posse debet charitas reip. quād vxor filij, propinquii.

^f Princeps nullo validiori praesidio, quam maiestate sua tuus esse potest. haec autem cum non modo opibus, & dignitate, sed iis maxime virtutibus, que principum virorum propriæ sunt, contineatur, ei, penes quem sunt gubernacula reip. danda est opera, vt cuius palam faciat suam personam vel sola maiestate, hoc est, iis rebus, ex quibus maiestas oriatur, esse tutam. nam, teste Seneca epist. 96. sine bonitate nulla maiestas est.

^g Magno principio cautio est adhibenda, ne quicquid virium penes se est, id contractum unum in locum simul, semperque habeat; ne si is exercitus seditionem, aut rebellionem cooptauerit, non opprimi, si opus erit, posset. quod si quicquid habet copiarum, id plures in exercitus diuisum erit, si unus insaniere occiperit, huius insanie & conatus aliorum subdicio, viribusque infringi possunt. Sic lib. I. hist. sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarum fidem, nec virtus, nec viribus miscetantur.

^h Is demum dux suo exercitu gratus est, quem milites intelligent, non tam suam sibi vitam, non coniugem, non liberos charos esse, quin eos, cum res postulabit, pro gloria sui exercitus ad exitium offerat.

ⁱ Militis appellatio est honestior & sanctior, quād vt ea seditionis conueniat.

^k Ciues appellari minime possunt ij, quibus tam proiecta magistratum, senatusque autoritas est, vt sibi nihil nefas esse existiment.

¹ De nomine
Caligula vide
Senec. lib. in
sap. non cat. in
libr. cap. 18.
² hac super
aut.